



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

Vt præter Pascha & Pentecosten, nisi morte periclitantibus, baptismus non
fiat. ii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

D. Burchardi

ECCLESIAE VVORMA-
ciensis Episcopi, de Sacramento Ba-
ptismatis & cōfirmationis, De-
cretorum Liber IIII.

ARGVMENTVM LIBRI.

Libro hoc de Baptismo & Confirmatione, de quæ iis quæ
circa hæc obseruanda sunt, tractatur.

Quid sit Baptismus. Cap. I.

Baptismus Græcè, Latinè tinctio interpreta-
tur. Quod idcirco tinctio dicitur, quia ibi ho-
mo spiritu gratiæ in melius mutatur, & lon-
gè aliud quàm erat efficitur, baptizatus in
nomine patris, & filii, & spiritus sancti. Si-

cut in tribus testibus stat omne verbum, ita hoc sacramen-
tum confirmat ternarius numerus nominum diuinorum, id
est, patris, & filii, & spiritus sancti.

Ut præter Pascha & Pentecosten nisi morte periclitan-
tibus pabismus non fiat. Cap. II.

Vnde quia manifestissimè patet, baptizadis in Ecclesia
electis hæc duo tempora, id est, Pascha & Pentecosten
esse legitima, dilectionem vestram monemus, vt nullos al-
ios dies huic obseruantia misceatis. Quia si sunt alia quo-
que festa quibus multa in honorem Dei reuerentia debeat-
ur, principalis tamen & maximi sacramenti custodienda
nobis est mystica & rationalis exemplatio, non interdi-
cta licentia, qua in baptismo tribuendo quolibet tempore
periclitantibus subueniatur. Ita enim ad has duas festiuita-
tes connexas sibimet atque cognatas, incolumium & pa-
cis securitate degentiam libera vota deferimus, vt in mor-
tis periculo, in obsidionis discrimine, in persequutionis an-

Ex decr.
Fabia. pa-
pe, cap. 5

Ex epist.
Leon. pa-
pe, cap. 11

gustis, in timore naufragij, nullo tempore hoc veræ salutis
singulare præsidium cuiquam denegemus.

*Quo tempore baptisma celebrandum sit, & vt qui ba-
ptizantur non infideles sed fideles inueniantur.*

Caput III.

*Ex decr. Victoris papæ, fra-
tribus per Alexan-
driam con-
stitutis, cap. 2.* **I**N paschali verò tempore & Pentecoste baptisma ce-
lebrandum est catholicum, sed tamen si necesse fuerit, in
mortalis periculum ingruerit, gentiles ad fidem venientes
quoquo loco, vel momento, vbicunq; euenerit, siue in ter-
ra, siue in mari, siue in fontibus tantum Christianæ con-
fessione credulitatis clarificata baptizantur. Ipsi quoque, qui
in baptismo polliciti sunt, summopere est attendendum,
ut infideles sed fideles inueniantur. Ipsi verò qui infideles
nota asperguntur, infames efficiuntur, atque inter fideles
minimè reputantur.

De duobus temporibus baptismatis.

Caput IIII.

Ex decr. Gelasii papæ, c. 10 **B**aptizandi sibi quicquam passim quocunque tempo-
re nullam credat inesse fiduciam, præter Paschale festi-
& Pentecostes venerabile sacramentum, excepto dumtaxat
grauissimi languoris incurfu, in quo verendum est,
morbi crescente periculo, sine remedio salutari fortiter
agrotans exitio præuentus abscedat.

Item quo tempore baptismus fieri debeat. Cap. V.

Ex decr. Syrici papæ, ca. 2. **S**equitur de diuersis baptizandorum, prout vnicuique
libitum fuerit, improbabilis & emendanda consuetudo
quæ à nostris sacerdotibus, quòd commoti dicuntur,
non ratione autoritatis alicuius, sed sola temeritate præsumitur,
vt passim ac liberè natalitijs Christi, seu appo-
stolorum, seu martyrum festiuitatibus innumeræ, vt asseris, plebes baptismi mysterium
sequantur, cum hoc sibi priuilegium & apud nos, & apud
omnes Ecclesias, dominicum specialiter cum Pentecoste
suo Pascha defendat.

De eadem re. Cap. VI.

*Ex cõcil. apud Cõ-
pendium, cap. 3.* **V**T extra statuta tempora canonum, id est, in Pascha
& Pentecoste, baptisma non celebretur: quia factum
non est hoc modis omnibus, nisi aliquod periculum imminuerit,
fieri prohibent, intantum vt etiam eos qui alio tempore